ABORTVS
BICORPOREVS MONOCEPS
Romæ Anno MDCXCI. editus

In Academia Physico-mathematica examinatus

A

FRANCISCO DE HONVPHRIIS

MEDICINÆ DOCTORE

Christinæ Sueciæ olim Reginæ Botanico, ac eiusdem Academiæ, in rebus physicis à Secretis.

MVNIFICENTISSIMO PATRONO

FERDINANDO MEDICES

Magno Hetruriæ Serenissimo Principi.

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Ad Excellentissimum Doctorem

FRANCISCVM REDI


PHILOSOPHVM CELEBERRIMVM.

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apostolicæ 1691.

SVPERIORVM PERMISSV.



Ser.me Princeps.



ON maiora, meis hactenùs obtulit natura animaduerſionibus, quæ meo vtens debito, digna cenſerem, vt tuo glorioſo nomini à me obſecrarentur. Raram admodum Gemellorum (vt puto) cohæſionem, Academiæ Phyſico-Mathematicæ hortatu, publicis oculis exponendo; Tuæ Protectionis ſub alis circumferri poſſe ſum auſus, ne vaſtum illud, & incomprehenſibile generationis fretum, perpetuis fluctibus philoſophantium mentes obuoluens,

exiguis insulsè scribentis calami remigijs tranare velle viderer, si opus tot seculorum transitu, elatorum scientia virorum cordatiora pectora dudum fatigans, monstruosi huius Abortus descriptione, breuique dissertatione me extricaturum Studiosi expectarent; sed vt sciant, non in alium finem opus suscepisse, quàm vt innumera, quibus mecum meæ familiæ Coniunctissimi à te fruuntur beneficia; per læuissimam hanc animi mei, suo Mœcenati, oblationem, innotescant. Quòd si contingeret ad rediuiua Augurum primæuæ Gentis oracula (quę in hoc casu priscis temporibus non otiarentur) me accedere posse; faustissima certè omina, ab ijs mihi inter cæteros enunciarentur, cùm, ad grates Tibi persoluēdas, initium mihi felicem hæc exhibeat occasio. Parua Magno Tuo Genio, exuberantiq; Generositati equidē offerre non erubesco; haud im-

memor,

memor, victimis deficientibus, egenos populos, ſilueſtres fructus, & olera, ſuis quandoquidem Deitatibus obtuliſſe. Fouere igitur haud deſine meũ, nondum ſatis accuratæ philoſophiæ regulis, excultum ingeniũ. Rari fœtus enarrationem humanitate, qua cunctis præſtas Heroibus, excipe. Si in aliquo verò errauero magnus ille Philoſophorum, tuæque Aulæ decus Franciſcus Redi, minimè deerit, qui me corrigere valebit. Interim verò Neſtoreos Tibi precor annos, SERENISSIME PRINCEPS, omnigenarum virtutum, bonarumque artium Fautor, & Cultor, meque patrocinari ne deſinas rogo. Vale.

SER.MÆ CELSITVDINIS TVÆ

Humillimus, ac Subiectiſſimus

Franciſcus de Honuphrijs.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Apost. Pal.

S. I. Menattus Episc. Cyren. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Franciscus Maria Forlani Reuerendiss. P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Ap. Pal. Mag. Soc. Ord. Præd.







CLARISSIMO VIRO FRANCISCO REDI

FRANCISCVS DE HONVPHRIIS.

S. P.



AVD Africam perſcrutandam aggredior [Vir Excellentiſſime].Nihil prorsùs mirabile curioſæ Eruditorum,tuæque expectationi me allaturum polliceor. Quod Orbis Philoſophis patefacere cupio, non vt illius monſtruoſitatis clamore,ad contemplationes euecti operis raritatem, admirentur. Verum qua ratione id à natura factum contingat, à ſagacioribus eorum mentibus indagetur, propono.

Circa Martij menſis initium, Romæ Abortus Bicorporeus ſeptimeſtris exoritur, Genitoribus haud genere claris. Is quamprimum in lucem editur ſtatim animaduerſionibus exactis offertur. Extrinſeca eius inſolitaque partium ſtructura examinatur. Quare eam,prius notis diligentiſſimè perſpectis, deſcriptam, prout in effigie delineata, ſatis accuratè conſpicitur, poſtmodum eiuſdem partium conformationem exhibemus. Satis ergo amplum, Thorax ſuſtinebat caput, vnicum numero, vnicoque parùm deformi vultu exornatum: duæ verò in ipſo laterales extuberantiæ erant, quæ duo videbantur occipitia. Aures quatuor reperiebantur, quarum duæ in poſtica cranij parte,communiter occipitium effingente, conſtituebantur. Verùm eædem effoetæ, & inutiles, & niſi attentè intuentibus, vix apparentes. Duæ ſpinales medullæ dorſales occupabant partes, vertebrarumque duplex ſeries.Dextera Thoracis media pars vnius

alterius ſiniſtræ perfectè ad ſternum iungebatur, vt Thorax planè vnicus repræſentaretur, ſed falsò: ſi etenim coſtarum ſeries, & numerus, ab vnius dextera, & ab alterius ſiniſtra procedunt, & ſterno cohærent; fatendum neceſſe reor duabus diuerſi generis partibus Thoracem conflari, qui vnicus à nonnullis creditur. Bina vtrinque propendebant brachia, non admodum longa, ſuiſque digitis integro numero referta. Coalitus corporum, medio ſterno, coſtiſque numero duodecim ad enſiformem cartilaginem, epigaſtrijque regionem extendebatur. Duplici fruebatur abdomine, vnicum verò per vmbilicum, vaſaque ipſum conſtituentia, Matri adnexum fœtum in vtero moram, vitamque duxiſſe videbatur, qui impropriè ſitus in ea abdominis parte vbi geminabantur corpora, bifariamque diuidi incipiebant, collocabatur, affabrè verò ſexum diſtinguebat in vtroque muliebris vulua. Infernè poſtmodum accedentibus coxis, cruribus, pedibuſque quatuor totam molem effulcientibus.

Quòd verò ad internam partium ſtructuram attinet, eam non minus attentè animaduerſam; exteriori configurationi ſubnectimus. Primo intuitu Cor ſimplex apparuit, vnico pericardio, duobus pulmonum lobis ab vna trachea propendentibus circundatum, in quo foramen etiam ouale (ſed vnicum tantùm) apparuiſſe fertur. A corde arteria magna bifida procedens, in quatuor deinde carotides, cruraleſq; arterias diuidebatur, ex quo credibile fit, naturam duplicatis, tali ordine, vaſibus, vitæ communi inſeruientibus, ſanguinemque per ambitum effundentibus, ad fœtus geminationem tendiſſe; idq; à mala vteri forſan conſtructione, vel capacitatis inopia fuiſſe impeditum. Huiuſmodi cordis artificio, geminatis ſcilicet vaſibus, admodum raro, non abſimile in noſtræ Academię actis relatum reperi ab Eruditiſs Doctore Froſini, à bicipite monſtro extractũ, ac Piſis ni fallor, diligentiſſimè diſſectum, in quo non tantùm vaſorum geminationẽ, verùm

rùm etiam duplici secto medio, quadrifariam cor diuidi conspiciebatur. Deuenit hunc in sermonem Vir egregius occasione monstri bicipitis Altamuræ Vrbis, in Neapolitano Regno exorti, congressuique Physico-mathematico communicati; me tunc temporis traditam de ipso descriptionem referente.

Idemque confirmatum pluriès fuit, ab illustris famæ Doctore, ac Viro amicissimo Iosepho Papa, de præsenti abortu mecum colloquenti: vt planè liqueat, naturam in nostro abortu nihil noui attulisse, cordis vasa geminando. Mediastinum vnicum conspiciebatur, atque cætera viscera, vnico diaphragmate dispescebantur, singula ferè duplicia. Ventriculi duo, vno appendebantur esophago, qui vbi eos ingrediebatur, in duo foramina diuidebatur. Intestinorum paritèr duplex series, mesenterio glandulisque duplicatis, prout etiam hepar, lien, pancreas. Renes verò quatuor, vessica duplex, vterique duo adinuenti fuere.

Maiorem verò mouebat admirationem, internum superioris ventris artificium. Vnicum namque cerebrum capite continebatur, Cerebella verò duo, ab interposito secto quodam cartilagineo, duplicibus duris mœningibus distincta. Cerebri luxuriabat non parua moles, licèt ipsum vnicum testarentur neruorum coniugationes, ad sensoria directæ, oculisque, naso, (lingua abfuit) auribus propagatæ.

Quæ omnia diligentissimè ab Eximio Chirurgiæ Professore Hippolyto Magnano anatomicè obseruata fuêre, qui omnium, per dissectionem fidelem adinuentorũ, Academiæ Physico-mathematicæ [quã non semel ditare suis placuit eruditionibus] vernaculâ linguâ obtulit relationẽ. Si quis Ambrosium Pareum curiosiùs euoluat, Gemellorum dorsibus cohærentiũ effigiem anno 1486. apud Hidelbergam in agri Palatini pago Robarchio natorum reperiet. Hermafroditi fuêre ambo, & vnicuique caput di-

stin-

ſtinctum. Si verò Fortunius Licetus de Monſtrorum cauſis ſpectetur lib. 2. varia reperientur Monſtra, quæ tamen adamuſſim noſtrum minimè feriunt, vbi enim caput vnicum, duæque vuluæ ſpectantur in iconibus, & duplicata, ad inſtar noſtri, corpora videntur, attentè ſi reſpiciantur nonniſi crura, & vlnæ duplicantur.

Cuius inſoliti fœtus Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Io: Ciampinus Academiæ Promotor effigiem incidi iuſſit, deſcriptionemque hanc imprimi voluit, vt Exteris innoteſcat: ijs vtens Præſul iſte erga ipſam Academiam munificentiā, & amore, quibus eamdem à tot annis proprijs ſumptibus eſt proſecutus.

At verò; ſi peregrinanti meo ingenio, in monſtruoſi abortus examen, temerè calamum ſtringere liceret; non mihi lęuis ab eruditis viris, à Te pręcipuè DOCTISSIME REDI per beneuolam redargutionem aliquid addiſcendi, ſeſe offerret occaſio. Miretur etenim quis velit extraneū hoc naturę opus prodigioſumque prædicari non deſinat; nunquam certè mirabor magis, quàm ſi geminos ab vtero editos fœtus reſpicerem.

Quid enim refert, ſi eos natura ſterno, coſtiſque coniunxerit, aut diſiunctiuè produxerit? ſatis eſt autumare eam in perfectum finem tendiſſe, & ab extrinſeca aliqua cauſa fuiſſe remotam.

Acres hìc ouariorum defenſores, rem forſan haud iniucundè extricarent, bina ſcilicet oua in vterum prolapſa, ſimul cohęſiſſe; atque exinde monſtruoſum partum fuiſſe excitatum. Cui (fateor) ſententiæ inuitò me obijcerem [cùm ſępe idem contingere videatur in fructibus, ex quibus quandoquidem ceraſiā, mala aurantia, nonnullaque alia, bina ex vno pediculo propendentia, cernuntur] niſi multiplices mentis dubitationes eam ſuſpectam agnoſcerent. Quomodo enim fieri poteſt iſta adamuſſim ouulorum coniunctio, vt cor in vno ouo depictum, delineatumque, alteri cordi perfectè adhæreat, & vnum fiat.

Esophagus esophago coniunctus, iuxta ventriculum bifidè diuidatur; Cerebellum Cerebello vniatur; quinimò ossium ipsa durioris consistentiæ materia, si in ouulis resideat, ita vniatur, vt vnum craniũ efformet. Rationes forsan afferre non desinent, desumptas ab ouis gallinaceis, quorum aliquod binis vitellis repletum interdum cernitur, vt credibile inde fiat per ea duplicia animalcula ista, duplex aliquando caput, aliquando aliud membrum afferre, vt vidimus anno elapso in pullo bicipite, cuius delineatio apud eumdem Illustrissimum, ac Reuerendiss. Dominum Ciampinum asseruatur; verùm hoc animaduertendum ijs remanet; pullum, non ex vitello omninò efformari, sed ex cicatricula, vt DoctissimusMalpighius in suis de Ouoincubato obseruationibus aperuit, hęc verò cicatricula, ac veluti punctũ saliens non patet in ouis, quæ gallinæ nondum gallum passæ pariunt, vnde colligere licet galli semen, non tantùm oua ista fœcundare suis moleculis semineis, verùm etiam in ouorum vitellis materiam ita disponere [quod virile semen in vtero, muliebri semini se immiscendo agit] adeò, vt delineamenta pulli, in ipso sculpta remaneant, sicuti in plantarum seminibus tota plantæ structura repræsentatur. Quòd verò in mulieris, cęterorumque viuiparorum vterum, masculino semine effuso, per eiusdem in fluidis exagitationem, ab ouarijs oua in ipsum illabantur; non video maiorem rationem, quàm se vidisse graues seculi scriptores testentur.

Hominem à cunctis animantibus differre voluit diuina cunctarum rerum operatrix manus, sed præ cæteris à gallinaceis pullis, alijsque ouiparis, cùm gallinas, aliaq; pennata, volatiliaque structurâ diuersâ ab alijs animantibus efformauerit, ijsque etiam abstulerit vteri gestationis incommodum, vt ad volitandum meliùs æquilibrarentur. Volatilia etenim inepta ad volitandum fierent vtero intumescente, ponderisque augmento solito celerique eorum motu moueri nequirent. Animantia verò

terre-

terrestria, quorum nonnulla, oua etiam parere cernuntur; licèt motu haud valde violento, à natura tradito moueantur; oua pariunt, eò quia diuersimode ab alijs figurantur, & construuntur partibus solidis: exemplum testudo sit, in qua cùm vterus dilatari nequeat, propter corticis soliditatem oua parit, ac extra vterum prolis promouet incrementum.

Posito autem vt superius innuimus, quòd si in ouo cicatricula non reperiatur, ineptum sit generationi, & quòd ab ista cicatricula exordiantur animalcula; erit igitur consequens, quòd si in ouo bina vitella reperiantur, cicatriculę inuicem vniantur; vt bina capita animalculo efformentur? Certè aliter quoque res procedere potest; quòd scilicet in vno vitello remaneant galli vires seminales abundantiores, quæ si extricentur, possint vel geminare pullum, vel duplicibus membris edere refertum. Obseruatum enim est, quòd vbi bina vitella reperiuntur, alterum valde effœtum conspicitur, vt credibile etiam sit, non per duplicationem vitelli, pulli fœtum duplicari, verùm in vnico etiam vitello à galli vi posse delineari.

Quomodo igitur (supposito in mulieribus ouo) eorum bina cohærentia monstrum efformabunt? Si enim à semine virili fœcundari debeant oua ista imaginaria, id equè bene in vnico fieri posse ouo facilè autumari potest, si verò in vnico geminari valet fœtus, melius est dicere in nullo.

Viuiparorum forsan vtrorumque seminum substantia, si illa in vteri cauitatem volatiliori sale, spiritibusque opulenta nimis inijciatur, ibidemque remoretur; huic phænomeno materiam præbere posse videtur. Quid enim obstat (si superfœtationis etiam casum respiciamus) sine ouorum interuentu ipsam perfici posse? forsan vteri arctissima illa, declamataque post conceptionem clausura, vt necessariò sequi debeat ouorum prolapsus ab oua-

rijs in occlusum extrinsecè vterum? Certè plastica illa vis seminalis, viam sibi inuenit, per quam vterum ingrediatur, seminiq; fœmineo commixta (vt Lucretius innuit) animalculum efformet.

Et commiscendo cum semen fortè, virili
Fœmina commulsit subita vi corripuitque
Corpore de patrio, maternoque sanguine crescunt
Semina, cum veneris stimulis excita per artus.
Obuia confluxit conspirans mutuus ardor.

Et ommissâ ridiculâ seminis in lauacro effusi historiâ, per quod fœmina fœcundata fertur; mirum non erit credere, etiamsi virile semen in vterum iniectum, ab ipso postmodum elabatur, fœmineum semen purioribus virilis seminis partibus posse fœcundari.

Quæ quidem omnia ouariorum propugnatoribus licèt fauere videantur, videlicet virilis seminis illâ volatiliori parte, oua quoque fœcundari posse. Nonnullis tamen suspecta videbitur eorum ratio; donec superiùs allatæ difficultates soluantur, ouulorumque cohæsione, nostrum à natura monstrum formatum fuisse clariùs elucescat. Supposito namque in ouulis perfectissimo totius animalis corporis delineamento, cordis stamina, viscerumque omnium completa structura in singulis desiderari per consequens non debet. Cor igitur istud, in abortu repertum, vasis duplicibus, fuerat ne prius in ouo A. vel in ouo B. exculptum? Si verò fuerint bina corda, hæc, quo pacto simul fuere coniuncta, vt vnum construerent cor? forsan ignorantiæ pallio, partium scilicet sympatiâ?

Seminum certè materia, in ijsque residens efformatrix virtus in causa offertur: hęc autem vel in hoc, vel in illo cõstituatur principio, non hìc nimis differendi est occasio. Salium quidem non minimum in generatione artificium agnoscerem, illorumque iuxta naturam effingi maximam quoque rerum seriem censerem. Quare non abs re putarem

rem ſalium volatilium exuberantiâ in ſemine, poſſe conceptionem multiplicari, quique prout naturâ diuerſificantur, diſſocianturque, poſſint hi cor, illi iecur aliaſue partes contexere. Vulgatiſſimâ experientiâ ſatis innotuit, ſales diuerſi generis ſimul commixtos, & aquoſo menſtruo diſſolutos, ſenſim ſe præcipitando, ſeiungi, ac ſeparari, & iuxta eorum ſimilitudinem, figuramque inuicem vniri, ac in chriſtallos coagulari. Non abſimili modo extricari puto ſeminis moleculas ſalinouolatiles, magiſque ſpirituoſas, adeò, vt aliæ ad cerebrum, aliæ ad cor, aliæ ad oſſa efformanda ſe explicent, incumbantque. Sic illæ, quæ ad cor delineandum fuêre in caſu noſtro particulæ aptæ; vbi duo corda aliàs effinxiſſent; vteri compreſſione, vel fortaſſe matris imaginatione (quod non minus probabile videtur) diuerſimodè agitatæ, per earumdem analogiam inuicem coniunctæ, & colligatæ vnicum cor fabricauerunt, cerebrumque. Atque in hiſce ſanè moleculis, puto deliteſcere morborum hæreditates, auorum proauorumque in fœtu, inextricabiles ſimilitudines, pluſquàm in ouo conſiſtere. Mulus quippè ſi equâ matre gignatur, minimè forſan illius ab ouo procedens; plus patrem repræſentat Aſellum. Cecinitque Lucretius:

Fit quoque interdum ſimiles exiſtere auorum
Poſſit, & referant proauorum ſæpè figuras
Propterea quia multa modis primordia multis
Mixta ſuo celant in corpore ſæpè parentes,
Quæ Patribus.

Sed vndè temerè, atque impudenter nimis in philoſophicas quæſtiones digredior, tantique Præceptoris ſub oculis, arduam hanc in arenam deſcendentem me cerno? Si tuis ſolùm (Vir eruditiſſime) de inſectorum generatione voluminibus totum ferè phyſiologicum orbem contigit ſat erudiri; audacem, irreuerentemque profectò nimis me, tuo quondam gratiſſimo colloquio potitum, ac poſtremo

epiſto-

epiſtolarum doctrinâ, diſcipuli familiaritate benignè ditatum, inconcinna in altioris indaginis rem mea ipſa argumenta deteſtabuntur. Pullulanti idcirco parce Mineruæ temeritatem, ſciaſque à te Phyſicæ Reipublicæ Seniore damnari glorioſiùs mihi futurum, quàm ab alijs collaudari. Vale Romæ. Quarto Kalendas Iunij CIↃIↃCXCI.